

solent, qui omne verbum labiis oblatum
 scriptis mandant, sed tanta maiestate sen-
 tentiarum, tantaque verborum modestia
 compleuit omnia, vt ab arte eloquentiæ
 non multum abesse videantur. Sed, heu,
 quantam ætatis nostræ maculam, huius
 tam ingentis tamque egregij operis, vix
 portio subest exigua, quidem cum in de-
 cades, vel ab ipso cõditore, vel quod ma-
 gis reor, à fastidiosis postmodum lectori-
 bus lectum foret, ex quatuordecim non
 nisi tres decades supersunt, prima scilicet
 tertia & quarta. Secundam quidem ipse
 ego hortante quondam sacræ memoriæ
 Roberto Siciliae Rege, summa sed hæte-
 nus inefficaci diligentia quæsiui, atque v-
 tinam falsus vaticinator inueniar, cito e-
 nim nisi mores hominum mutantur, de
 hoc euenturum vereor, quod olim pro-
 posuerat Caius Caligula nequissimus Ty-
 rannorum, de quo est apud Suetonium
 Tranquillum, quod T. Liuij Historiam,
 & Virgilij Poëtæ libros & imagines, pa-
 rum abfuit, quin ab omnibus Bibliothe-
 cis amoueret, vtque ingenio viri huius
 clarissimo, nubem obliuionis, quàm non
 attulit, imperiosa crudelitas auferat sen-
 tim incuriosa segnities.